DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS DAUN, A. M.

SCOTO-BRITANNUS.

Ad Calendas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

MEMORIÆ

DILECTISSIMI FRATRIS,

ASSIDUI QUONDAM CONJUNCTISSIMIQUE

SODALIS,

ET

VETERIS STUDIORUM

SOCII,

GEORGII DAUN;

JUVENIS, EHEU!

QUANTÆ QUID NUNC REFERT DICERE SPEI?

ACERBA NON ITA PRIDEM MORTE,

IN MEDIO CURSU SUBLATI,

DUM, PATRIA PROCUL ATQUE SUIS,

GLORIAM PETEBAT

ARMIS;

EXIGUUM HOC OPUS, MUTUMQUE SUUM,

QUOD GAUDENS CONFECERAT,

FATI ADHUC IGNARUS FRATERNI,

SACRUM VULT

AUCTOR.

" Sa beauté, son enjouement, sa noble fierté s'en-
" fuyoient loin de lui. Il paroissoit tel qu'une fleur
" qui, etant epanouie le matin, répand ses doux
" parfums dans la campagne, et se flétrit peu à peu
" vers le soir ; ses vives couleurs s'effacent, elle se
" dessèche, et sa belle tête se penche, ne pouvant
" plus se soutenir."

TELEMAQUE, liv. vii.

13

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

Morbus quem Phthisin Pulmonalem, seu Tabem Pulmonis, seu, quippe adeo quotidianum, simpliciter Tabem appellant, inter Britanniæ notissimos est. Et cum contemplor animo qualia potissimum corpora tentet, quamque nullis sit medicabilis herbis, facere non possum quin eum dirissimis etiam maximeque omnium invidis morborum annumerem corpus quibus humanum

pateat.

pateat. Nec enim solet hæc pestis parvum absumere querulumque infantem in primo limine vitæ, voluptates cujus atque gaudia ille nondum gustare cœperit, nec vieti malis fractique senis, vitam pertæsi, diem maturare extremum; sed juvenem viribus fretum in ipsoque flore ætatis implicare, et in medio velut cursu tollere, sibi gaudet, et quasi maligna quadam et execrabili lætitia gestit.

Est autem adeo indomita nullisque remediis vincenda, ut omnem fere medicinam spernat rejiciatque; ne quidem centesimum quemque eorum quibus penitus insederit, redire ad sanitatem passura. His accedit, ut tabes sit parum contenta unam tantummodo quasi victimam ex aliqua familia sustulisse; sed in domum quamlibet semel admissa coerceri reprimique non possit, donec tandem, alio e natis post alium correpto, miseros parentes, pulchra quondam prole felices, liberis penitus orbatos relinquat. Quo crimine homines, quave culpa insigni tantum tamque abominandam potuerunt pestem mereri!

Ubi

Ubi hoc de morbo pauca conscribere, et, si res prospere cederent, proferre in apertum decrevi, mihi in hoc genere parum versato, diu vacillabat animus, quamnam facere rerum distributionem, cum proposito nostro maxime conveniret: Tandem vero, cum partitiones frequentes nunquam valde arrisissent, in duas solummodo partes disponere visum est quæ hac de re proferenda haberem. Primum igitur rationem morbi, seu historiam, ut, neglectis ornamentis, oratione exponam quali mutas tractantem artes deceat uti, operam dabo. In altera dein parte, de iis dicam quibus optime modis discutiatur morbus instans, atque leniatur, utinam liceret dicere tollatur, urgere postquam cœperit.

PARS

PARS PRIMA.

DE MORBI RATIONE, SEU HISTORIA.

Si quis habet tussim assiduam, purisque sputum, cum febre lenta, quam *hecticam* medici vocant, et corporis simul viriumque defectione insigni, is tabe pulmonis teneri dicitur. Harum autem notarum neque causa ubique eadem neque natura indolisque est. Nam cum morbus in eo consistat ut aliquid in pulmone abscedat, ut abscessus rumpatur, et quod intus habeat ut per asperam arteriam tussi ejiciatur, varia sit morbi natura necesse est, prout id varium quod abscesserit. Abscessuum autem in pulmone, sicut in aliis corporis partibus, plura esse genera posse perspicuum est. Hujus rei cum exempla pleraque proferre possim, uno ero contentus. Constituamus aliquem frigori intempestive objectum,

tum, sic, ut inflammatio pulmonis accedat: Hæc si parum fuerit bene curata, movere poterit in pulmone suppurationem; procedente tempore, vomica rumpetur; excreabitur pus, et febris lenta accedet; et quis tum pronunciare dubitat hujus morbum in tabem desiisse pulmonis? Statue iterum juvenem aliquem habitu quodammodo peculiari corporis, circa certum vitæ tempus, fereque sine ulla manifesta causa, emacrescere incipere, assidueque tussire et pus ore ejicere et vexari febre; numquis erit usque adeo imperitus quin hujus quoque morbum Tabis nomine pulmonum designet? Nemo sane. Num idcirco est causa horum morborum et natura indolisque eadem putanda? Minime gentium. Nam alter a causa externa ac fortuita, alter ab interna nascitur; alter est ipsius pulmonis vitium, universi corporis alter est; ille vero in corpore cætera vel sanissimo oriri potest, et curationem aliquando non ita magna mole recipit; hic contra nisi in corpore vitiato oriri nescit, et, semel orta, radicibus hæret tam alte jactis, ut vix, et ne vix quidem, eruncari sustineat.

Hinc

Hinc igitur perspicuum fit communi hoc Tabis pulmonum nomine, morbos vocari plurimum inter se differentes; quibus de omnibus dicere in animo non est; sed quæ protulero accipi velim de ea sola Phthisi dicta, quæ una, ut mihi quidem videtur, dici vera meretur, ea, scilicet, quæ quasi sponte nasci juvenesque potissimum tentare soleat, cujusque semina a parentibus in miseros natos descendant; in his demum opportuno tempore pullulatura.

Et hac ipsa de specie ab initio ordiendum est, et ante omnia ostendendum qualia corpora, etiamnum intacta, eam futuram timere possint; deinde quod vitæ, quæque anni tempora ei sint maxime opportuna; nam sic optime in notitiam veniet qualis quisque et quibus maxime temporibus sibi cavere debeat.

Is igitur in maximo Tabis periculo erit, qui parentibus ortus struma tabeve affectis, corpore procero sit et gracili, laboris parum patienti, ob huncque vel inediam subito emacrescenti, his vero amotis ad habitum pristinum brevi reventuro. Qui longum habeat exileque collum, scapulas sublime gestas, pectus vel carinatum vel

præter

præter naturam depressum atque planum, simul parum setosum, et cartilagine prælonga et acuta, parumque carnosa. Qui parum commode spiritum trahat, et vel modica exercitatione anhelet: quique vocem debilem, fuscam, quasi e concavo exientem habeat. Cui species decora sit, color autem non constans sed varius admodum: Cui venæ magnæ, cutisque mollis, tenuis, quasi pellucida; interdum vero, fusca papulisque aspera. Cujus oculi comæque coloris levioris sint, maximeque illi cœrulei, hæ autem flavæ rutilæve, simul tenues et molles, etsi nonnunquam fuligineæ atque hirtæ. Cui labrum superius nasique columna tumeant. Cui denique contigerit mens supra ætatem cata, ad cogitationemque quietam prona. Tali cui major adhuc causa suberit metus, si forte inter annum ætatis sit duodevicesimum et annum quintum et tricesimum, siquidem inter omnes convenit hoc præcipue vitæ tempus patere phthisi. Neque vero a phthisi protinus is tutus putandus est qui vel nondum attigerit modo positum tempus ætatis, vel hoc jam excesserit, siquidem a gra-

vissimis

vissimis proditum est autoribus, hoc mali, cum aliquando pueros corripuisse parvos, tum ætate admodum provectos. Hoc tamen rarius accidit.

Et corpora obnoxiosissima vitæque opportunissimum tempus exposita sunt. Ex anni autem temporibus periculosissimum primum ver est, proxime deinde ab hoc finis autumni : propterea quod iis maxime temporibus, ob cœlum parum æquale, anginæ, destillationes, et lateris dolores oriri consuerunt, quæ, pulmonem irritando, latentia tabis semina facile evocare possunt. Ad hoc, primo vere sanguinis plenitudo, quod aiunt medici, ad molem, fertur accidere ; hocque ob frigidiorem cœli temperiem in calidiorem subito abeuntem, quod arbitratur sanguinem efficere rariorem. Quo fit ut hoc potissimum tempore sanguinis profusiones e pulmone eveniant, quæ tabis in causa esse haud raro habentur. Neque inficiari velim sæpe tabem post hujusmodi profusiones oriri ; hæ tamen, ut mihi quidem videtur, verius prænunciare, quam gignere tabem dici possunt ; siquidem in iis fere corporibus eveniunt quæ vel

cæteroqui

cæteroqui ad tabem proclivia sunt, et siquando in aliis oriuntur, tabem rarius afferunt.

Et licet tempora jam scripta periculosissima sint, nullum tamen anni est, quo proclivis quis non incipere possit laborare; maxime si regionem incolit cui cœlum parum æquale, sed subitis mutationibus a calore in frigus, abque hoc in calorem, obnoxium. Cujus rei ratio jam explicata est. Fieri vero potest, ut et aliæ causæ tabem moventes, minus manifestæ, quibusdam locis et temporibus subsint, siquidem non vanum est illud Celsi, "quod evidentes causæ efficiunt, efficere et abditæ possunt."

Expositis igitur notis quæ Phthisin timendam ostendant, et vitæ annique quibus potissimum temporibus invadere soleat, venio nunc ad rationem qua incipere, et crescere, et tandem finiri soleat; quæ, ut non perpetua, plerumque tamen hæc est. In corpore tali quale supra posui, et circa tempus jam dictum vitæ, tussicula oritur, quæ inter initia sicca et brevis est, tamque parum molesta, ut vix digna videatur quæ curationem ullam neu animadversionem desideret. Hæc si verno tempore acci-

derit, quo certius fallat, proxima æstate forsitan quiescet, sub finem autumni, vel hieme, interdum etiam non nisi ineunte vere secundo, reditura, iterum fortasse calore sopienda secundæ æstatis. Tussis non protinus ab initio aliis stipatur malis, sed modo diutius modo brevius per se exercet, sine eo ut alia incommoda accedant. Neque vero perpetuum hoc est, siquidem nonnunquam accidit, ut inter ipsa morbi principia sanguinis aliquid extussiatur; vel sensus aliquis ingratus vel doloris, vel caloris, vel angustiæ, in pulmone male habeat; vel ut æger non æque ac antea spiritum commode trahat. Hæc saltem mala, si non a principio adfuerint, tandem aliquando superveniunt. Simul corpus non ali apparet; et vires mirum in modum deficiunt; æger ultra debitum exercitatione fatigatur; et cum non pariter atque olim ad laborem valeat, sic eum magis refugit, quietemque petit, cum calore; nam frigoris usque adeo sensu afficitur, ut, folioli modo populi tremulæ, fere assiduo quassetur horrore.

Tussis, quam esse brevem et aridam inter initia dixi, procedente tempore notabilior fit, et

mucosum

mucosum aliquid trahere incipit. Sese quoque dolor intendit; neque alio magis loco quam sub ipso osse pectoris urgere consuevit. Spiritus fit major difficultas; et æger non facile in alterutrum latus cubare potest. Venæ nonnihil concitantur; cibi cupiditas minor, potionis major justo exercet; calor aliquantum augetur.

Interposito deinde, modo longiore, modo breviore, spatio, horrores inordinati accedunt, et non ita multo post, febricula supervenit, cui Hectica nomen est, quæ quum junctis dehinc manibus cum vitio pulmonis incedat, animadversiones aliquas hic postulare videtur. Hæc, etsi nihil inordinatius, ex earum ut plurimum genere est quæ remittunt, et duas accessiones die habet. Harum una circa meridianum tempus fere invadit, non absoluto quidem et perfecto horrore, attamen sensu quodam solito majore frigoris, qui post aliquod tempus paulatim recedit, et calor pristinus, forte etiam paulo major, redit, et tandem accessio, vesperum versus, utque plurimum citra sudorem, resolvitur. Haud ita multo post, altera, eodem quo prior modo, incipit

cipit et crescit, sese paulatim intendens ad mediam usque noctem, ubi sudor aliquis, modo parcior modo liberior, erumpit, nec ante fluere desinit quam tempus accedat matutinum, quo tempore se æger commodius habere solet. In hac febre semper sunt venæ nonnihil concitatæ, nimirum, quoniam morbus, unde ipsa febricula suam originem ducit, efficere hoc potest. Sitis non pariter in hac atque in aliis febribus molesta est, nam os fere madet, et lingua nitida et rubicundula esse consuevit. Alvus primum adstricta, postea fusa est. Urina varia pro tempore quo excernitur; quæ sub accessionem, liquida et pura, quæ sub decessionem, rubra est, multaque subsidentia "furfuraceo-lateritia" habet. Urgente frigoris sensu, æger faciem pallet; alias, rubore malas notatur circumscripto et maculoso, minimeque tali qualis sani hominis vultum decorare solet. Post aliquod tempus quam hæc febricula accessit, quid ore ejicitur, puris aliquid secum habere mistum incipit; eodemque potissimum tempore se promere sanguis consuevit, modo majore, modo minore copia. Sputum magis fit in dies singulos purulentum,

et

et pus demum prope sincerum, sanguine modo interstinctum, exscreatur. Et æger nunc ultima corporis imbecillitate tenetur, tantaque macie, ut sit larvæ similior quam homini. Omnia ruunt in pejus. Sudores nunc neque noctu neque interdiu fluere cessant; alvus cita perpetuo exercet, et conquiescere ægrum in cubili non patitur; fœminis menstrua deficiunt. Facies atque aures pallent; malæ prominent; oculi subsident; tempora collabuntur; nares acutæ fiunt; labra inalbescunt; ungues incurvantur, et, cum digitis, pallidi fiunt; volarum et plantarum fervores vexant; et ubi ad ultima ventum est, capilli fluunt; pedes tument, et aphthæ os ac fauces occupant. Mens vero etiamnum constat, neque spes usque ad mortis diem affulgere desinit. Tandem propter imbecillitatem æger eloqui non potest, vixque audit; mens, quæ diu constiterat, labat; et mors, num lugenda? mox sine pugna obrepit.

Hæc autem homine vivo eveniunt; protinus jungam quæ, morte obita atque cadavere secto, in conspectum veniunt. Prætermissa igitur summa totius corporis extenuatione, quæ huic

cum

cum aliis longis morbis aliquatenus communis est, totum quicum nobis res est vitium sedem in pulmone habens videtur. Hic autem tuberculis, et abscessibus, cavisque lentis et impuris e quibus pus ante mortem effluxerat, fœdatur. Pulmo utriusque lateris sic afficitur; sinisterior tamen, ut fertur, majorem in modum vitiari solet; cujus rei quid in causa sit parum mihi constat. Partes pulmonum superiores posterioresque tuberculis cæterisque vitiis maxime inquinantur. Et primum quæritur, horum tuberculorum quæ natura est? Ipse eorum opinioni accedo, qui hæc nihil esse nisi glandulas lymphaticas struma tumidas arbitrantur. Multa me ad hanc opinionem impellunt. Primum, nostra tabes corpora strumosa fere sola aggreditur; deinde, struma, etsi universi corporis vitium sit, tamen glandulas lymphaticas, seu conglobatas, uti vocantur, præcipue afficit, ut hæ tumidæ inter constantissimas habitus strumosi notas haberi possint; tum, hujusmodi glandulæ ramis arteriæ asperæ inhærescunt, eosque sic per pulmonem comitantur, ut in partibus ejus superioribus posterioribusque accumulatissime sitæ

sint;

sint; sed et eædem hæ partes, ut jam alias positum est, tuberculis quoque maxime scatent; postremo, tubercula nostra quam proxime glandulis mesenterii strumosis similitudine accedunt, et in suppurationem ubi transitum est, id quod abscessus intus habent nunquam pus bonum est, sed fere ei simile quod in glandulis strumosis suppuratis quotidianum est videre; scilicet; non album, leve et æquale, sed quasi coagulatum quid seu caseum cum humore tenuiore mistum. Non ignoro huic nostræ opinioni a quibusdam objici, quod glandulæ pulmonis in facie bronchiorum interna sitæ sint, dum tubercula, contra, de quibus sermo est, e parte externa inveniuntur. Hic tamen erroris aliquid subest. Nam in pulmone, præter jam dictas glandulas lymphaticas, genus et alterum est, diverso muneri accommodatum, humorem scilicet glutinosum secernendo, quo bronchi intus humectentur. Et hæ, nulli dubium, ex parte bronchiorum interna sedes habent. Glandulæ vero lymphaticæ in tela cellulosa pulmonis locantur; quod tuberculorum sedibus omnino respondet. Illius generis glandulæ frigore

exasperatæ,

exasperatæ, catarrhum efficiunt; hujus, demum, struma affectæ, tabem præbent. Et catarrhus sæpe tabis veræ initium esse videri potest, nam eædem causæ simul utriusque generis glandulas irritare possunt; et satis notum est quæ partes ad morbum aliquem proclives sunt, eas, irritatione admota, in hunc morbum incidere.

Jam firma, igitur, ætate, pulmonum glandulæ, de causis parum manifestis, ad inflammationem strumosam proniores evadunt, ideoque, admota vel levissima irritationis causa, tumere incipiunt et pulmones titillant; hinc tussicula nascitur, quasi ad causam titillationis ejiciendam, quæ tamen expelli nequit, propterea quod sedem a parte bronchiorum externa habet. Itaque tussicula sub initium nihil trahit, sed arida remanet, donec glandulæ mucosæ, propter irritationem, majorem copiam humoris secernant, qui tandem exscreetur. Multis glandulis simul tumentibus et inflammatis, quid mirum si spiritus aliquantum difficilis sit, et doloris quiddam in pulmone sentiatur, et pulsus nonnihil acceleretur? Nonnullis e glandulis tumidis tandem suppuraturis, horrores inordinati ægrum

corripiunt,

corripiunt, et suppuratione jam facta, sudores nocturni, aliaque febris hecticæ mala, accedunt. Abscessuum velamentis paulatim tenuatis, et tandem ruptis, pus, primum minore, post majore copia, exscreatur. Hoc quoque potissimum tempore, ut jam alias posui, sanguis extundi solet, ob, scilicet, vasa aliqua sanguinem vehentia una cum abscessuum tunicis exesa.

De summa extenuatione corporis et imbecillitate nihil dico, quoniam his inducendis, functio tam necessaria pulmonis impedita, et profusi sudores, alvusque fluens, paria esse videntur.

Illud interrogari me posse ab aliquo scio, cur, cum glandulæ colli, aliæque externæ, puerili maxime ætate struma tumeant, glandulæ pulmonis tum demum affici incipiant, cum ætatem firmam, juvinileque robur jam fuerit corpus adeptum? Huic percontationi nihil certi respondere possum. Fieri potest, ut, quod ita se res habeat, in causa sit mutata quodammodo distributio sanguinis; et certe majorem nunc, quam antea, sanguinis copiam in pulmone congeri, ex eo verisimile fit, quod sanguinis profusiones, quæ pueris e naribus fiunt, adultis e pul-

mone sæpius proveniant. Hoc, vero, num rei explicandæ sufficiat, aliis videndum relinquo. Liceat mihi vicissim requirere, quonam pacto fiat, ut glandula cui Thymo nomen est, alicujus in infantibus molis, paulatim decrescat, donec tandem in corporibus adultis vel senilibus vix vestigium ejus deprehendi possit; vel, ut mulierum mammæ ac matrices provecta potissimum ætate cancro laborent? Hæc, nimirum, sicut alia bene multa, ob causas fiunt quas ex certo cognoscere nobis adhuc non datum est.

Phthisis pulmonalis regiones non pariter omnes infestat. Cœlum frigidum, humidum, varium, ad eam gignendam non mediocriter conducit; in hoc tamen non sunt omnia; neque enim constat, eas quibus quam plurimum hujusmodi cœlum sit regiones, ideo tam maxime obnoxias esse phthisi. Subesse aliquid potest aëri, vel aquæ, vel victus rationi, quarundam regionum, quod earum incolas ad tabem procliviores efficere par sit. Video quibusdam medicis, haud plebeia sorte, persuasum, quæ aquam copia majore calcem habet, eam mirum in modum promovere strumam; et satis convenit, ubicun-

que

que terrarum struma maxime crebrescat, ibidem et phthisin maximas daturam strages.

Externi plerique medici hunc morbum propagari contagione posse arbitrantur; et apud vulgus quarundam gentium adeo hæc sententia valet, ut non parum graventur hospitio recipere peregrinos tabidos qui eo, salutis gratia, aliunde confugiunt. Quo hæc opinio fundamento nitatur, vel in ea quantum veri insit, a me absit pronunciare; cum nonnulli, etiam e nostratibus medicis, jureque magni nominis, se hac de re incertos et suspensos prodiderint. Plerique tamen nostri nihil tale credunt, et certe quidvis potius somniunt quam sibi cavere cum, curandi causa, adeundi tabidi sunt.

Fœminis uterum gerentibus phthiseos mala leniri solent; statim, vero, a partu rursus intendunt se, et ægras brevi consumunt. Nimirum, utero tumido pulmones cum ulcusculis suis aliquantum comprimuntur; pressura vero quantum ad ulcera sananda conducat, satis notum est. Hujusmodi autem ulcuscula ad glutinationem parum spectant, ideoque simul atque gravida partum sit enixa, pulmonibus majorem

in

in modum evolutis, ulcuscula, parum bene glutinata, subito divelluntur, mala iterum exacerbantur, et mors brevi sequitur. Hæc scilicet nonnulli dicunt. Alii vero asseverant mulierem a tabis incommodis levari, non solum dum uterum gerit, verum etiam dum infantem lactat, quod magis potest mirum videri. Neque desunt alii, vix minores viri, qui affirment, graviditate adeo non leniri tabem, ut in dies singulos intendatur, mox a partu ægram interemptura: "Nec satis queo mirari, de re tanta, inter tantos viros, tantam esse sententiarum pugnam!"

Insania quoque fertur oborta sustulisse tabem; sed quis talem sibi curationem optaret?

Fœminis tabidis menstrua non respondere jam supra dixi; ipsæ autem errant cum hoc tabis in culpa esse putant; quum tantum propter corporis imbecillitatem fieri, ex eo disci potest, quod morbum adeo non præcedat, (quod tamen facere oportuit si in causa fuisset), ut non ab ipso principio adsit, sed tum demum accedat, ubi magna corporis infirmitas urgere incipit.

PARS

PARS ALTERA.

DE QUIBUS OPTIME MODIS ARCEATUR ATQUE CURETUR MORBUS.

Cum, in priori parte, historiam inceperim a notis quæ morbi futuri periculum ostendunt; in hac, curationis principium ab animadversione ejusdem temporis faciam; nam ipse, quem ad tabem proclivem habitus posui, morbus est, ita per totum corpus vagans, ut nulli adhuc parti proprie insederit.

Illi, igitur, quem, ex jam alias recensitis indiciis, in tabis periculo esse suspicari liceat, id primæ esse curæ debet, malum ne pulmones occupet; tum deinde, ut habitus corporis pravus in melius mutetur.

Ne morbus pulmoni insideat, evitare is summa solicitudine singula debet, quæ pulmonem omnino irritare queant. Horum præcipuum frigus est, quod idcirco magna cura cavendum est: utendum, scilicet, vestimentis satis multis,

et

et ad calorem æqualem servandum accommodatis. Neque eos plus satis sapientes audiendum est, qui vel tenella infantum corpora frigori objicienda contendunt, eo, scilicet, nomine, ut ejus patientia frigoris fiant, quod post, jam adultis factis, noceret! Hoc enim Naturæ, optimæ duci, omnino contrarium est. Aspice modo volucres, quanta cura nidos suos quantoque tempore foveant; at ne vel minimus pullus æque ac homo debilis, omniumque inops nascitur, aut tantam tamque diuturnam curam a parentibus suis requirit. Et quod natura docet, experientia firmat; nimirum, corporibus infantum teporem amicissimum, frigus autem inimicissimum esse. Oportet igitur matres, quibus curæ natorum valetudo est, curiose vestimentis, maximeque laneis, infantes involvere, seduloque cavere ne frigus ad eos aspiret; quod non minus ad firmam valetudinem, quam ad elegantiam formæ conducet.

Cæterarum rerum, quæ pulmonem irritare queunt, notitia, rationem earum vitandarum facile subjiciet; de his, igitur, non est quod speciatim dicam.

Proximam

Proximam esse curam posui, ut habitus corporis in melius vertatur. Ante omnia, corpus firmari opus est ; siquidem singulæ hujus habitus notæ, id debile ostendunt. Igitur ad hoc efficiendum, cibus sumendus est boni succi, bonumque nutrimentum præbens, et neque nimius, neque nimium parcus, sed ea quantitate qua facile concoqui ac digeri possit, corpusque probe alatur, et vires excitentur. Quicquid assumitur, concoctu quam facillimum esse debet, nam cruditas, et alvus adstricta ad acerbandam, prope dixerim ad gignendam, strumam, non mediocriter conferunt. "Condita omnia duabus de causis inutilia sunt ; quoniam et plus propter dulcedinem assumitur, et quod modo par est, tamen ægrius concoquitur." Hoc CELSUS, sagaciter, ut fere solet. Potui autem lac recte detur, vel exiguum vinum satis dilutum, vel cerevisia tenuis, vel aqua ipsa, modo pura sit ; sed aqua impura, præcipue adeo calce plena ut saponis impatiens sit, et liquores meraci, nimia non possunt cura vitari. Utendum exercitationibus modicis et assiduis, maxime iis, quibus pulmones quam minime agitentur ; ideoque

que equitatio apprime utilis esse consuevit; vix tamen huic secunda est ambulatio lenta, cauta, incessuque erecto. Cursus vitandus est, ut et omnes exercitationes athleticæ. Neque ulla exercitatio ad fatigationem continuari debet. Sudor levis obortus, sensusve lassitudinis alicujus, quæ citra fatigationem sit, monebunt desistere. Siquando, nimis vehementi exercitatione, sudor liberius fluxerit, antequam quiescat infirmus, detergere se mantili debet, novisque vestimentis induere, cura adhibita, ne subitum frigus contrahat, cui tum præcipue temporis corpus opportunum est.

Utendum quoque natationibus frigidis, præcipue marinis, quæ ad corpus roborandum multum proficiunt. Neque existumet quis, hoc cum eo dissociabile esse, quod supra de calore posui; nequaquam enim corpori nocet frigus hoc modo adhibitum, cito desiturum, gratoque caloris sensu excipiendum; verum contra, frigori nocituro corpus minus opportunum præstat.

Neque vero committendum est, nimia sub aquis commoratione, ut corpus, languidum debileque

bileque factum, horrore corripiatur; sed maturius is ascendere debet, et, accurate tersus, paulisper se exercere. Qui in tabis periculo est, ei nec ferrei Martis, almæ nec Veneris prœlia, semper satis tuta sunt. Committere se mature debet somno, eique magis indulgere; utique seras lucubrationes, vigiliasque nocturnas vitare.

Et hæc ei servanda sunt qui Phthisin futuram timet. Quod si, his neglectis, vel parum proficientibus, indicia, quæ supra tabis incipientis posui, accedant, scire licet majore mole pugnandum esse. Si tussicula a causa aliqua evidentiore orta, dolorem in pectore satis acerbum movet, venasque multum concitat, simulque spiritus perquam difficilis exercet, esse necessarium potest aliquid sanguinis elicere. Sin autem, id quod sæpius accidere dictum est, tussicula ita oriatur ut neque causa neque initium ejus facile deprehendi possit, et si vix notabilem excitet dolorem, venasque quietas esse sinat, neque spiritus adeo difficilis sit; tum sanguinem detraxisse non modo supervacuum erit, verum etiam alienum, utpote quod vires præcipitaret

sponte nimis cito perituras. Nunc cœli mutatione opus est. Ægrum igitur oportet, si res patiuntur, regionem relinquere in qua laborare inceperat, et in aliam dimigrare, cui minus varium humaniusque cœlum. Mihi utinam tam in promptu esset loca indicare quo utilissime ex hac insula transeatur, quam est credere sic transire profuturum. Si tale nobis per totum annum permaneret cœlum, quale mensibus æstivis ut plurimum est, næ, nihil esset quod nostri tabidi patriam relinquerent, tum enim frustra amœnius vel sibi convenientius quærerent. Hoc, sane, ii fere omnes iis temporibus levati confirmant. Quandocunque igitur peregrinare opus est, ea utique regio petenda erit, assiduum cujus cœlum proxime ad Britanniæ æstivum accedat.

Si res non patiuntur e patria decedere, placidissimæ hujus ipsius partes petendæ sunt; si ne hoc quidem fas est, restat ut æger attentissime ea servet quæ supra de vestitu scripta sunt; ut, immiti cœlo, se intus in ædificio contineat; certe quoties exire foras opus est, ut os clausum tectumque habeat; ut sedulo omnia vitet quæ

pulmones

pulmones irritare, cupiditatemque tussiendi movere queant; cui ipsi cupiditati ut, quantum fieri possit, resistat, quippe de qua vere dici possit, "vires acquirit eundo." Hæc cœli mutationis loco sunt, sic, ut etiam peregrinatione facta, non prorsus negligi debeant.

Superest ut cæteras curationis partes exsequar. Cibo nunc aliquid demendum est, nihilque nisi e lenissimis sumendum. Lac, quod pariter pro cibo potuque erit, nulli ciborum generi secundum est. Hujus ipsius plura genera sunt; quibus omnibus commune est, ut liberius, quam vulgo fit, ingerantur, utque in eorum usu diutius perseveretur; nisi quid prohibet. Prohibent autem febres adauctæ, capitis dolores orti, inflatio ventriculi, et interdum ipsum fastidium. Si lac integrum nocet, cum sero misci potest sicque ministrari; si ne hoc quidem satis toleratur, serum per se bibere oportet; sed tum super aliquid adjicere necessarium erit, ne corpus nimis maceretur. Si lac alvum adstringat, medicamento aliquo opus erit ad eam movendam; si nimis citet, adhibendum medicamentum quod cretam habeat. Vinum

si

si ante permissum fuerit, nunc potui demendum est.

Exercitationes nequaquam omittendæ sunt, sed lenioribus tantum, et cœlo immiti, tectis, utendum. Hic, ut quibusdam videtur, navigatio longa, utique præcipienda est, utpote quæ motu leni et assiduo quo corpus agitat multum prodesse existimetur. Idem vero aliis non placet, eo, quod multis ibi nec parvis incommodis æger objiciatur necese est, quæ omnia, ut a phthisi levetur, vel præcipue vitanda sunt. Hi igitur volunt, ut, exercitationis causa, vehatur potius in cymbula super amœnum placidumque lacum, vel amnem leni flumine ridentes undique præterlabentem ripas, quoties et quandocunque animus ferat, suadente simul facie cœli. Utcunque hoc sit, id inter omnes convenit, alterutro ex his modis, vel equo, vel curru, vel lectica, similive aliquo, sic corpus movendum, ut pulmones simul quam minime exasperentur. Frictiones quoque esse utiles possunt. Ad tubercula nascentia discutienda, non alienum est vomitum subinde ciere, et pectori vesicatorium imponere, vel, quod melius est, cutem inter costas, vel scapula-

rum

rum ossa exulcerare, et dein imponere quæ humores illuc citent.

Ubi longius progressum est, et pus extussiri cœpit, febrisque hectica accessit, vix ullus medicinæ locus est ; neque tamen æger quasi jam mortuus destituendus, utcunque in malis sit ; siquidem nonnulli in ipsis faucibus mortis convaluerunt, neque potest quis dicere idem et suo ægro venire usu non posse. Boni certe medici est, pro virili niti, si mors arceri nequit, ut quam mitissima veniat.

Igitur iis ciborum generibus nunc iterum utendum est, quæ nutrimenti sunt boni ; cum corpus nutriri et vires refici opus sit, hocque fieri modica alimentorum quantitate ingesta ; nam ventriculus magna mole repletus morbi incommoda fere auget. Paulum vini concedendum quoque iterum est ; et cortex Peruvianus ingerendus. Hic quoque delictum haberetur, vix ignoscendum, siquis non præciperet Digitalem ; et sane perpauci his temporibus defectu ejus moriuntur. In ejus administratione magna cura et circumspectione opus erit ; et scire licet hancce herbam jam satis profecisse, cum pulsum arteriarum inordinatum dederit, et ægrum

grum cardiacum ac vertiginosum effecerit, oculisve caliginem offuderit. Ubi hæc tam manifesta utilitatis argumenta sese ostenderunt, oportet medicamentum paulisper intermittere, ne a morbo suo æger nimis mature liberetur.

Sudores noctu profusi liquoribus acidulis coercendi sunt; quod si hos etiam vincunt, tum non vanum videtur præcipere ut cutis nitro, vel simili quovis duretur; nam sic optime constringentur vasorum ora quæ, ob imbecillitatem patula, sudorem manare patiuntur. Utiliter ad tussim leniendam sub lingua liquatur trochiscus qui glycirrhizam habet cum opio; vel eæ potiones linguntur quæ gummi Arabicum habeant cum eodem adjecto. Ubi ad ultima ventum est, alvus fusa, quam tum supervenire posui, eodem hoc opio, (certe a Deo clementi mortalibus ægris concesso, ut ferre possent quæ non sint fugienda mala), vel potionibus e creta, optime sistenda est.

Nihil de casu sanguinis extussiti posui; quippe qui, nisi magno impetu inter morbi principia fertur, nullam curationem propriam aut postulet aut recipere possit; et quoties accidit

tantum

tantum significet majorem curam in ciborum et vini, exercitationumque usu, esse adhibendam. Quod si vis magna sanguinis inter initia prima morbi profluit, viribus adhuc integris, sanguinem, incisa vena, mitti opus erit, ut cursus ejus a pulmone avertatur. Simul medicamenta adhibenda erunt quæ corpus refrigerent. Victu utendum quam tenuissimo. Aliena sunt calefacientia, stimulantia ; ideoque exercitationes althleticæ, etsi modicæ perutiles.

FINIS.